

1427 fractæ essent, ut aut hosti cedere, aut omnino succumbere
 oporteret, fortunæ ac tempori id dandum tecum sentiremus.
 Sed quum florentissimum habeas exercitum, cum quo totiens
 laceffit hostis congregi non sit ausus, quid igitur aliud in
 causa esse putandum est, quod tam ignominiosam pacem sis
 complexus, nisi quod pecunias ad ingentem exercitum alen-
 dum tibi defuturas sperasti? Sed sunt tibi publicæ adhuc
 & private Mediolanensium fortunæ, quibus si quandoque
 uti voles, tuo jure poteris. Sunt & vectigalia multa &
 magna, quibus non solum copias quas habes, retinere pos-
 sis, sed si opus sit, longe etiam majores conscribere. At
 tu utere potius tuorum opibus, quæ tibi paratæ sunt, nec
 patiaris Venetos libertatis specie Mediolanensibus & reli-
 quis Cisalpinæ Galliæ populis, qui tuæ ditionis sumus,
 frænum injicere: sed experire potius, an præsentis status,
 & libertatis hujus, quam tuus nobis indulgentissimus tri-
 buit principatus, jure studiosi habeamur. Siquidem para-
 ti sumus, pro his omnibus non solum fortunas ipsas, sed vi-
 tam quoque, ubi opus fuerit, effundere. Ad ea comiter
 Philippus quum pauca respondisset, rejiciens omnem belli
 culpam in Florentinos ac Venetos, qui sua superbia & per-
 fidia in id belli discrimen se invitum traxissent, quia aut
 fœderibus standum esset, aut, ut ipsi adhortabantur, bel-
 lum omnino reparandum, cupere se dixit ex suis Medio-
 lanensibus cognoscere, quid ipsi præstare possent. Irent,
 deque ea re ad populum referrent, ut plane scire posset,
 qua spe tantam belli molem denuo esset subiturus. Res
 publico concilio jactata est: placuitque Philippo responde-
 ri, si urbis vectigalia civibus exigenda permetterentur, da-
 tuos Mediolanenses, quoad debellatum in Gallia esset,
 equitum decem millia, ac totidem peditum. Ferunt fuisse
 Philippum id Mediolanensibus concessurum, nisi formido-
 losum natura Principem ex aulicis quidam admonuisset:
Videret ipse quid ageret: nil aliud fore, vectigalia urbium
civibus permittere, quam ad libertatem illis gradum face-
re: sane periculosum esse, cum duobus liberis populis, at-
que eisdem potentissimis, bellum gerere: ac suos libertate,
 qua